

Der liber constructionis monasterii ad s. Blasium.

103

48. * Lutfridus, presbyter de Ebirsbach **, qui in hoc loco se ipsum monasticae religioni subdidit, quodam tempore infirmus fuit. Cum autem quadam die ita iaceret, vidit conventualem ¹ unum per ipsam infirmariam procedentem, et psalmodiam canentem. Cumque secum miraretur, quid hoc esset, venit quidam et indicavit ei, quod unus de fratribus extra claustrum commorantibus in eadem hora, qua haec vidit, obiisset. Quod ille, ut audivit, statim ob eiusdem fratris transitum haec facta notavit. Post haec igitur abbas Murensis effectus, in dei opere fuit studiosus. Ad ultimum vero, cum iaceret in extremis, quadam vice, sicut ipse suis fratribus narravit, coelestes voces aethereum carmen dulciter psallentes audivit. Talibus enim consolationibus ad exitum suum consolatus est eum dominus. Post haec igitur pridie calendas Januarii [31. December] *** de hac vita migravit.

49. † Canonicus quidam venit huc causa discendi officium altaris, ad quod ipse nuper ordinatus fuit. Illis autem diebus erat hic in monasterio senior quidam, Cunradus nomine, conversationis bonae. Hic igitur ex antiqua familiaritate praefato clerico connexus fuit in charitate. Hunc ergo a domino abbate deprecans ad discendum ab eo ministerium altaris, in celebratione missae eius utebatur iuvamine. Cumque in eadem missa ad hoc ventum esset, ut communionem corporis et sanguinis domini accipere deberet, praedicto seniori, id est Cunrado, talis revelatio facta est. Vidit igitur, interim dum idem presbyter communionem [fol. 19^a] sanctam percepit, contra frontem illius imaginem domini, quasi cruci affixam et multis virgarum flagellis circumdatam. Deinde finita missa ad mutuam colloquutionem ² venientes, rogavit iam dictus clericus eundem seniore, Cunradum scilicet, ut iterum in crastinum ad celebrandum missam sibi esset adiutor, quod et ipse annuit et etiam facere voluit. In eadem autem nocte post matutinos, cum saepe dictus senior, videlicet Cunradus, psalmodiae et caeteris orationibus vacans in ecclesia sederet, ita sedendo parum sompni coepit. Tunc sicut ipse postea narravit, vocem talia verba sibi dicentem audivit: „vis iterum hodie ire, ubi ego verbera patiar?“

¹ conventum, Sf. ² collocationem, Sf.

* Lutfridus abbas Murensis, Marginalnote Herrgotts.

** Ebirsbach ist Ebersbach, gehört zur Gemeinde Grafenhausen im Amte Bonndorf.

*** Unter diesem Tage steht im alten Necrolog an erster Stelle: Lutfridus, abbas.

† Conradus senior, Note Herrgotts.

50. * Ut unus quisque Christi fidelis decimas eius pauperibus dicatas ¹ prompta mente ac fideliter donet, subiecta narratio monet. Quodam igitur tempore cum bos unus valde bonus ad decimam egenis ad hospitale pauperum tribuendam veniret, dator, qui eum dare debuit, sibi retinuit, et alium minoris pretii vilioresque pro eo dare voluit **. Quid plura? mox lupus adveniens illum bovem, qui eleemosynae fraudulentem ² iniusteque subtractus fuerat, invasit statimque mordendo necavit.

51. *** Frater quidam Ulrichus nomine in officio constitutus erat coquinae. Illo autem tempore anni, quo foenum colligebatur, quadam die cum caeteris ad idem opus gradiebatur. Cum autem sero venisset, aliquid durius a cellerario susceptus est. Dixit enim ad illum, ut quia sine eius licentia ad foenum colligendum abiisset, nihil omnino gustaret, antequam herbas, quae in crastinum ad cibum coquenda ³ erant, de horto carpendo colligeret collectasque ad coquinam deferret. Ipse vero, ut erat bonae simplicitatis et patientiae, praecipuum magistri suscepit obedienter. Quamvis enim de aliis operibus valde fatigatus esset et in eadem die etiam parum comedisset ⁴, incoenatus ad hortum abiit collectasque herbas iam noctis tenebris incumbentibus ad coquinam [fol. 19^b] detulit, cuius ianuam cum iam obseratam inveniret, fratres, qui intus iam lecto collocati quiescebant, fores pulsando inquietare noluit. Super nudam enim bancam, quae ante ostium eiusdem coquinae stabat, se ipsum ad quietem collocabat. Cum autem ita iacens, prout tunc potuit, sompnum caperet, visum est illi, quod omnia signa ecclesiae sonarent. Ad quem sonum excitatus, graviter secum tulit, quod quasi matutinis sonatis ad surgendum esset tardus. Prout melius autem tunc se accelerare potuit, ad ecclesiam concitus perrexit, cui dum appropinquavit dulcissimas voces in ea psallentes audivit. Splendor etiam luminis, qui ex ea per fenestras emicuit, valde magnus fuit. Credi etenim potest, quod haec ad laudem dei, coelestis in ea exercitus celebraret. Maximo igitur desiderio idem frater intrare cupiens, ostia ecclesiae adiit, sed omnia diligenter obserata invenit. Tunc fratres intus esse et fores ad protegendum lumen clausisse existimans pulsando tetigit valvas. Quod ut facere inchoa-

¹ dicatos, Sf. ² fraudulentem, Sf. ³ coquendum, Sf. ⁴ comedisset, Sf.

* Monasterium defraudans punitur, Note Herrgotts.

** Es ist hier nicht von einem Zehnten die Rede, sondern von einem Besäher, welches für das Armenhospital bestimmt war.

*** Ulrichus coquus, Note Herrgotts.